DE

VENTRICULI ET VESICAE URINARIAE DUPLICITATE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANATOMICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. APRILIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS JUETTING

GUESTPHALO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

G. ZOERNIG, MED. ET CHIR. DR.
F. SCHULTE, MED. ET CHIR. DR.
L. METTEGANG, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO,

CASPARO TOURTUAL,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, COLLEGII RES MEDICAS IN GUESTPHALIA CURANTIS ASSESSORI, MAGISTRO PUBLICO IN SCHOLA MEDICO-CHIRURGICA MONASTERIENSI, SOCIET. LITTERAR. PLUR. SODALI,

NEC NON

VIRO

DILECTISSIMO, OPTIMO

HOETTGER,

AB EPISTOLIS CIVITATIS MONASTERIENSIS,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PARS I.

Cap. I.

Quum anatomia pathologica ad excolendam pathologiam, tum generalem tum specialem, maximi sit momenti, quam quidem rem multae eaeque gravissimae disquisitiones nuperrime demonstraverunt, me operae pretium facturum esse putavi, si vel minimum ad explanandam hanc rem conferrem. Igitur, cum mihi contigisset, ut in museo anatomico-pathologico Monasteriensi ventriculum bipartitum accuratius cognoscerem, hac ipsa de re pauca scribere statui. Ad quam rem ut animum adverterem, me praecipue a C. Tourtual invitatum esse, sub exordiis libere confiteor. Eidem viro summas gratias ago, quod in colligenda omni materia comiter me adjuvare non desierit. Praeter hanc gravissimam auctorita-

tem illud quoque consilium meum confirmavit, quod contemplatio ventriculi bipartiti aliquatenus ad amplificandam sententiam pertinet, quae viris nonnullis doctissimis placuit, quippe qui parietem quendam inter dimidia congrua corporis humani positum esse doceant. Revera enim infitias ire nequimus, corpus humanum duas congruas partes exhibere, exceptis tamen organis quibusdam non duplicibus. Exstant autem multa anatomica hujus bipartitae in corpore humano naturae documenta; sutura enim sagittalis et quae in foetu ejus est continuatio, sutura frontalis, item spina superior et inferior eminentiae cruciatae, tum, si ad ipsum cerebrum transieris, falx cerebri et cerebelli, corpus callosum, ventriculus septi pellucidi, ventriculus tertius, aditus ad aquaeductum Sylvii, vermis cerebelli, arteria basilaris, ad confirmandam hanc sententiam afferri possunt. Longum est, minutiores res huc pertinentes singulatim enarrare. Multum autem facit ad rem anatomia pectoris et abdominis. Intercedit enim inter pulmonem utrumque mediastinum; cor, quam-

quam paulo sinistrorsum vergens, septis tum atriorum tum ventriculorum dividitur, et, quod abdomen attinet, mesenterii ea certe pars, quae a corporibus vertebrarum abdominalium oritur; nec non linea alba, nostrae sententiae suffragantur.

Idem denique indicari videtur per raphên perinaei et scroti. In hanc igitur analogiam incidit ea duplicitas ventriculi, quam tractare nobis proposuimus. Quia vero simile quoddam circa vesicam urinariam interdum occurrit, ad hanc rem quoque respiciamus. Ita vero disputatio instituenda videtur, ut primo exempla nonnulla enarremus, tum de utraque duplicitate generatim dissèramus et quae in diversis animalium generibus similia occurrant, sub finem adumbrare conemur.

Praeparatum igitur, quod Monasterii inveniri diximus, in spiritu vini asservatum, non parvam annullarem ventriculi coarctationem inter cardiam et pylorum exhibet, ita tamen, ut nulla adsit membranarum degeneratio. Ceterum praeparatum illud a corpore foeminae depromptum est,

de cujus morbo mihi, quamquam diligentissime inquirenti, nihil innotuit. Phaenomena autem memoratu digniora, in ventre illo obvia, haec sunt: Ventriculi axis longitudinalis novem digitorum est; cardia a pyloro duos digitos et dimidium, a summo autem arcu majore quatuor digitos distat. Totus ventriculus per stricturam, in media fere parte sitam, in duo dimidia dividitur, ita quidem, ut sinistrum dimidium, si cum ventro comparaveris, latius appareat; sinistrae enim partis axis longitudinalis quinque digitos aequat, dextrae autem quatuor tantum. Intercedit inter pylorum et arcum majorem spatium trium digitorum. Locus constrictus annuli speciem praebet, et apertura, quae commercium utriusque cavi sistit, non major est, quam ut digitus medius hominis adulti transmitti possit. Circa totam constrictionem membranae ventriculi duarum vel trium linearum crassitiem habent; si propius ad ipsam constrictionem accesserimus, trium vel quatuor linearum diametrum attingunt, quae in ipsa constrictione quinque fere lineas adaequat. Locus

constrictus durus et cartilagineus tactu est. Loco tunicae exterioris serosae tum in ipsa constrictione tum circa eam tela cellulosa invenitur, ita tamen, ut cum tunica serosa, quae contegitur et oculis subducta est, arctissime connata sit; in partibus vero paulo remotioribus tela serosa peritonaei conservata est, et membranarum tum crassities tum species a norma non recedunt.

Memoratu dignum videtur, arcum minorem omnino evanuisse, pylorus enim versus cardiam attractus est, et ambo proxime ad constrictionem accedunt, cardia sesqui-digitum distans, pylorus digitum unum. Praeter membranas, ut diximus, magis condensatas, indeque natum apparentem defectum tunicae serosae nulla degeneratio reperitur. Locus constrictus, si ab interiore parte eum contemplamur, subalbi, cartilaginosi annuli speciem exhibet, et tangenti durior ferme videtur, quam ab exteriore parte. Tunica mucosa tum hoc loco, tum per totam interiorem superficiem normalis apparet, color ruber, laxitas, tori, condensatio, quae quidem signa prius inflammatam fuisse

tunicam mucosam indicarent, prorsus desunt. Quae vero in tunica ventriculi serosa abnormia apparent, inflammationis tunicae serosae suspicionem quandam movent, quae inflammatio ad tunicam muscularem quoque pertinuerit. Haecne, quam conjiciendo eruere conati sumus, inflammatio, illam constrictionem conflaverit, an primitiva fuerit, haud certo dirimi potest, praecipue deficiente morbi historia.

Cap. II.

Haec igitur constrictio, cujus exemplum supra accuratius descripsimus, nec non septum in media parte cum annulari apertura, tamquam continuatio et inversio tunicae mucosae, introrsum congruens valvulae pylori, maximi momenti sunt inter abnormitates ventriculi, et diligentiam atque attentionem virorum doctorum excitarunt. Quod ad constrictionem pertinet, Cl. J. F. Mekkel veram segregat a spuria, quae secundum ejus sententiam modo putativa, saepe spasticae est naturae, et ventriculo aëre inflato evanescit;

altera vero, etiamsi hoc experimentum adhibueris, remanet, rarissime autem occurrit. J. F. Meckel eam in duobus tantum cadaveribus quadraginta fere annorum invenit. In altero ventriculus constrictione, cujus diametrus pollicis fere longitudinem aequabat, in duas partes divisus erat, quarum tamen sinistra tertia fere parte major erat, quam dextra; in altero autem locus constrictus duplo certe amplior erat, et hic quoque in media ventriculi longitudine inveniebatur. A loco inde constricto autem utrumque dimidium aliquantum amplificabatur. Similes casus, in quibus omnibus constrictio in medio ferme ventriculo occurrebat, adnotaverunt Blasius (1), Morgagni (2), Wurfbain (3), Heister (4), Delius (5), Greding (6),

(1) Obs. med. p. IV. obs. IX, ubi duo exempla leguntur.

(2) Dec. et s. ep. XVI. art. 38. XXVI. art. 31. XXX. art. 7. XXXVI. art. 2.

(3) Eph. n. c. Sec. II. a. 7. obs. 251. p. 470.

(4) Act. n. c. a. X. obs. XVI. pag. 53.

(5) N. a. n. c. a. VI. obs. 3. p. XI.

(6) Ludwig adv. m. pr. vol. III. p. 83 — 85.

Soemmering (1), Sandifort (2), Flachsland (3), Petsche (4), Amyard (5), Reinmann (6), Ludwig (7).

Neque tamen hujus abnormitatis semper est eadem forma, cum alter sacculus altero modo minor modo major, locus coarctatus modo amplior, modo angustior sit, modo nonnisi angulus contractus appareat, modo canalem plus minus longum praebeat. In uno eorum exemplorum, quae Cl. Sandifort enarravit, coarctatio canalis formam exhibebat, nec multo angustior erat, quam saccus pylori. Eadem ratione se habent casus a clarissimo Reinmann et Cl. Wurfbain adnotati. In eo, quem posteriorem nominavimus, constrictio canaliculata aliquanto angustior erat, quam uterque sacculus ventriculi.

---

(1) Baillie path. An. S. 82. Not. 8. y.
(2) Obs. an. path. lib. III. c. I. p. 25.
(3) Obs. path. an. p. 49. seq.
(4) A. a. pag. 782.
(5) Phil. Tr. vol. 304.
(6) N. Act. n. c. t. I. obs. 72. p. 304.
(7) Primae lin. an. path. p. 40. not. z.

In eo casu, quem Cl. Heister apposuit, hic locus aliquanto angustior erat; in eo autem, cujus Cl. Greding mentionem fecit, vix amplitudinem intestini tenuis aequabat. Blasius narrat, casum a se tractatum vix digitum minimum admisisse. Cl. Morgagni semel constrictio aeque angusta ac pylorus occurrit. Loci coarctati structura interdum normae plane respondet, interdum tamen ab ea recedit. Cl. Blasius v. c. crassam, duram, molli cartilagini similem invenit, quod quidem ex gastritide pependisse videtur. Hanc formationem plerumque a natura insitam esse, verisimile est, cum Cl. Sandifort eam in foetu invenerit; tamen in quibusdam casibus acquisita esse potest. Cl. Reinmann v. c. ventriculum praeter normam formatum in muliere invenit, quae per totam vitam pectus thorace linteo arcte constrinxerat. Cl. Delius in eo certe casu, quem ipse tractavit, strictura ex nimio spiritus vini usu nata videtur. Cl. Meckel hanc deformitatem, nisi postea oriatur, ex evolutione minus valida procedere putat.

Cl. Otto saltem et Sandifort satis multas ventriculi deformitates invenerunt, quarum causa sine ullo dubio in praepedita evolutione sita erat. Praeterea vero, Cl. Meckel auctore, fieri potest, ut laminae, quae primitus ventriculum efficiunt, alicubi nimium breves sint, quae tamen sententia non ita multum probabilitatis habere videtur; fortasse vero materies, ex qua ventriculi laminae finguntur, vi non prorsus sufficiente distribuitur atque extenuatur. — Deformitatem hanc, quatenus varia est, variam quoque vim in functiones ventriculi exserere, in dubium vocari non potest. Eandem ad vomitum reddere hominem propensum, cardialgiam excitare, digestionem turbare, largiendum videtur. Vir ille, in quo Blasius ventrem duplicatum invenit, jam diu vomitu crebro tentabatur. In eo casu, quem Cl. Delius enarravit, diu cardialgia exstitit. Complures quoque homines, in quibus Cl. Morgagni abnormem hanc formationem reperit, crebris vomitionibus obnoxii erant. Licet in quibusdam casibus, quales Cl.

Greding et Wurfbain memorant, vomitus defuerit. tamem ab his argumentum sufficiens desumi nequit, quo sententia, coarctationem ventriculi haud ita parvam vomitiones facile conflare, evertatur, nam facile intelligitur, motum chymi retardatum, pendentem ex structura, ventriculum irritare eoque irritato motuum antiperistalticorum et vomitionum causam sistere. In stricturis vero minorem deformitatem exhibentibus, itemque in iis, ubi deformitas, satis quidem magna, sed primitiva est, et ad primam formationem pertinet, ventriculum minus reactionis praestiturum esse, non est, quod negemus.

Quae vero postea in strictura mutantur, praesertim quatenus ad fabricam pertinent, secundum ea, quae disputavimus, variam vim in functiones ventriculi exserunt; qui quidem effectus loco, charactere, magnitudine morbi ventris organici immutatur. Memoratu dignum est, non utrumque sexum huic deformitati aeque esse obnoxium. Cl. Petsche semel, Morgagni quater, Sandifort, Reinmann, Heister, Soem-

mering plerumque, Delius, Greding pluries, Ludwig et J. F. Meckel bis hanc abnormem ventriculi formationem in mulieribus invenire, quare sexus mulieber, omnino ad deformitates virili sexu propensior, in nostro quoque casu eandem rationem exhibere videtur, sive formatio illa serius oriatur, sive primitiva sit. Attamen Cl. Wurfbain, Flaschland, Greding, Amyard, in viris eandem sibi deformitatem occurrisse testantur.

Cap. III.

Haec formatio, qualis in hominibus appareat, hucusque adumbravimus; eadem aliis partim de causis memorabilis est, partim eapropter, quod θηρομορφίαν quandam praebet. In plerisque enim animalibus cardia et saccus pylori modo per structuram, modo per constrictionem, sive simplicem sive multiplicem, magis minus gravem sejunguntur. Sic ventriculus Halmaturi gigantei constrictione in duos sacculos intestino non dissimiles dividitur, qui rectum fere

angulum efficiunt, quorumque cava per foramen satis amplum commercium inter se alunt.

In ventriculo Hystricis cristatae per duas constrictiones tres sacculi formantur. In Lepore timido ventriculus ab interiore parte perspicuam divisionis notam in duo dimidia exhibet, quae dimidia valvula circulari satis prominente segregantur (1). Item teres ventriculus Castoris fibri per constrictionem, quae ab anterioribus et posterioribus arcum et magnum et parvum incidit, dispertitur. Divisio ventriculi creberrime occurrit in magna murium familia. Duos sacculos demonstrat ventriculus murium Zibethici et capensis et Criceti. In mure amphibio a dextra parte cardiae paululum ab ea distans constrictio apparet, cui ab interiori parte promontorium fimbriatum respondet. Eadem ratio ad familiam Marmotarum pertinet. Ventriculi Hypudaei arvalis, H. lemni in duos sacculos dividuntur. In Many pentadactyla ventriculus duos sacculos

---

(1) Schwed. Ann. Vol. I. tom. II. p. 133. Ant. Rudolphi.

exhibet, inter quos medium promontorium. Similis est ratio ventriculi Bradypodis bidactyli. In Hyrace capensi ventriculus per medium septum prorsus segregatos sacculos offert. In Peckaro media ventriculi pars a dextra et sinistra per constrictiones separatur, quam formationem eandem in Rhinocerote invenimus. Si Cl. Home auctorem sequimur, in iis quoque animalibus, ubi anatomia similem formationem non reperit, inter digerendum similis amborum sacculorum divisio contractis musculis circularibus efficitur.

PARS II.

Cap. I.

DE VESICAE URINARIAE DUPLICITATE.

Initium disputationis iterum ita fiat, ut exemplum vesicae urinariae per septum perforatum in duo cava divisae accuratius enarremus. Hoc quoque praeparatum in museo anatomico-pathologico Monasteriensi intueri mihi licuit. Vesica puellae erat unum vel duosve annos natae, sed hic etiam aegre fero, quod disquisitiones de morbi historia omni eventu caruerunt. Axis vesicae longitudinalis tres pollices et dimidium habebat, lata autem erat in fundo duos digitos et dimidium, in cervice duos pollices paululum superabat. Dividebatur per septum tres digitos longum et duos fere digitos altum ad aequales

angulos demissum, quod a fundo et pariete posteriore vesicae urinariae usque ad sinistrum marginem orificii urethrae interni extendebatur. Partes autem vesicae inaequales erant, cum septum non in media vesica, sed paulo sinistram partem versus situm esset, ita ut laeva pars tertiam ferme partem totius cavi efficeret. Septi anterior superior margo non usque ad anteriorem interiorem parietem vesicae pertinebat, sed in cavum vesicae libere porrigebatur, digiti fere spatio ab illo distans. Ab utraque parte duo, omnino igitur quatuor, ureteres inveniebantur. Qui ad dextram siti erant, hiabant prope corpus trigonum, quod accurate distinguebatur, in dextrum idque majus dimidium vesicae urinariae. Qui vero in altera parte erant, non ambo in sinistrum cavum inosculabantur, sed alter magis superne situs posteriorem vesicae parietem in eo loco penetrabat, ubi illud, de quo diximus, septum a posteriore interiore superficie oriebatur, tum canalem unius digiti exhibens, inter utramque laminam percurrebat, et in dex-

tro cavo finiebatur. Alter vero inferius situs immediate in sinistrum cavum aperiebatur. Septum continuata tunica mucosa formatum ex duabus laminis constabat, inter quas superior sinister, quem diximus, ureter, perforata lamina ad dextram sita, viam ad dextrum cavum sibi fecerat. Erat in septo prope superiorem anteriorem marginem rotundum foramen, quod digitum minimum admittebat; praeterea in basi altera inveniebatur ad medium propius accedens apertura ea amplitudine, ut calamum immittere liceret. Quid sibi voluerint ambae aperturae, facile innotuit ei, qui sinistrum cavum accuratius examinaret. In eo enim hoc attentione dignum apparebat, quod valvula digitum alta et longa in eo oriebatur, unde recessus sacculo similis nascebatur, quae usque ad basin septi pertinebat, ubi per minorem aperturam, quam ibidem extitisse modo diximus, cum dextro cavo communicabat. Reliqua autem cavi sinistri pars cum dextro commercium exercebat per majorem illam aperturam in margine septi positam. Ex

dextro cavo urina immediate emittebatur, ea igitur urinae pars, quae in sinistro cavo colligebatur, antea in dextrum effunderetur necesse erat, unde prorsus vesica expelleretur.

Cap. II.

Huic exemplo, eandem, quam supra, exponendi rationem sequentes, alia quaedam subjungamus a viris doctis examinata et in medium prolata, quippe quae comparatio non omni jucunditate carere videatur. Formationem, qua apud virum superior eaque angustior vesicae pars ab inferiore eaque multa ampliore per constrictionem horizontalem separabatur, observavit Cl. Blasius (1). Cl. Ash (2) casum adnotavit, in quo vesica per solidam membranam in duos loculos sejungebatur et apertura intermedia tam angusta erat, ut vix communicatio inter cava intercederet. Cl. Karpinsky (3) vesicam uri-

(1) L. l. obs. 19. p. 59.

(2) Baillie, Bemerk. über die Kennt. des krankh. Baues in den Abh. für prakt. Aerzte. Vol. 20. p. 428.

(2) De imp. in lithot. Arg. 1780. in Hartentheil de vesic. urin. calc. p. 63.

nariam per septum intermedium, a fundo usque ad orificium internum urethrae pertinens, infra autem imperfectum, divisam invenit. In alio casu, quem Cl. Testa (1) in lucem protulit, hoc septum perfectum erat et utrumque cavum ureterem excipiebat. Loco hujus simplicis septi invenit Blasius (2) septum ex duabus laminis compositum, idque perfectum in viro, cujus vesica externe simplex videbatur, quippe illa separatio notis externis non indicabatur, nisi recessu. Laminae illae separari poterant et vesica omnino duplex apparebat. Cl. Cartier (3) denique in infante vesicam urinariam invenit, quae ex duobus dimidiis prorsus separatis et digitum latum inter se distantibus constabat, quorum utrumque ureterem excipiebat. Ceterum haec vesicae deformitas haud adeo facilis est explicatu.

---

(1) De re med. Ep. 4. p. 135.
(2) l. l. Obs. XIX.
(3) Obs. med. cap. XX. p. 85.

Hac enim de re vix aliud quidquam proferri posse videtur, quam ut continuationem quandam septi communis, de quo supra disputavimus, hac deformitate indicari dicamus.

Animalia quod ad hanc rem aliter se habent, quam quod ad duplicitatem ventriculi, nam vesicae urinariae duplicitas nunquam occurrere videtur, nisi excipias vesicam urinariam in quibusdam batrachiis, in quibus fundus vesicae bipartitus est.

V I T A.

Natus sum ego Guilelmus Juetting Monasterii anno hujus saeculi decimo tertio, die XII. m. Septembris, et catholicae fidei addictus. Parentes optimos, patrem Bernardum, matrem Gertrudam, e gente Beckmann, morte praematura mihi abreptos, valde lugeo. Primis literarum elementis domi imbutus, gymnasium Monasteriense, quod directore Cl. Nadermann floret, per quinque annos et dimidium frequentavi. Examine abiturientium superato, in eadem urbe ab Cel. Esser, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus sum. Scholam medico-chirurgicam, quae Monasterii directore Cl. Franke viget, per sex semestria frequen-

tavi et has audivi praelectiones: Logicen et psychologiam Cel. Waldeck, zoologiam et botanicen Cel. Becks, physicen Cel. Roling, chemiam et toxicologiam Cel. Schmedding, anatomiam generalem et specialem Cel. Tourtual et Cel. Riefenstahl, qui etiam cadavera rite secandi artem me docuerunt, pathologiam generalem Cel. Busch, diaeteticen, therapiam generalem et materiam medicam Cel. Wirtensohn, physiologiam tam generalem quam specialem Cel. Haindorf, pathologiam et therapiam specialem et medicinam forensem Cel. Pellengahr, chirurgiam et artem fascias rite applicandi Cel. Klatten, akiurgiam et cursum operationum Cl. Tourtual et Cl. Riefenstahl. Artem obstetriciam, apparatum instrumentorum obstetriciorum Cel. Klevekorn mihi exposuit. In clinico medico et chirurgico Monasteriensi per duo semestria practicanti Cel. Pellengahr, Cel. Tourtual et Cl. Riefenstahl praeceptores mihi fuerunt. Ineunte Aprili anni hujus saeculi trigesimi sexti ad celeberri-

mam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli et a rectore magnifico Ill. Heffter civibus academicis adscriptus, a facultatis medicae decano spectabili, Ill. Mueller, in facultatis album relatus sum. Quibus ab eo inde tempore interfui, praelectiones hae sunt: Physiologia experimentis illustrata, tam generalis quam specialis, doctrina de generatione, anatomia pathologica et comparata Ill. Mueller, exercitationes practicae medicinae forensis Ill. Wagner, historia medicinae Ill. Hecker, morbi nervosi Exper. Romberg, morbi cutis et auditus Exper. Dann, morbi psychici Ill. Horn. In exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis nec non obstetriciis, Ill. Bartels, Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Cel. Barez, Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Ill. Juengken, Ill. Busch ducibus gavisus sum. Praeterea per annum sub auspiciis doctissimi Kops chirurgi militaris munus voluntarius obii.

Quibus omnibus viris, maxime de me meri-

tis, gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Scrophulosis est mater tuberculosis.
2. In prosopospasmo nervus facialis, in dolore faciali Fothergillii nervus trigeminus accusandus.
3. Anatomia et physiologia sunt fundamenta totius medicinae.
4. Remedium anceps melius nullo.